

lumnæ nubis, qui vix ad assequendum iter ab insequente Pharaone sufficiens es? In Domo Domini, qualis est Religio, vices summi Sacerdotis, Sancta Sanctorum ingrediens, qui inter Gabaoitas numerari petisti ad comportanda ligna & aquam in sacrificium?

284. Quis probet, te in Horto concluso, qualis est Religio, appetere vices Hortulani, qui vix, & primum nuper inter succrescentes plantas rigari aquis Divinæ gratiæ rogasti? In Itinere recto, quale est Religio, vices Ducis cæcorum, qui, ne in foveam caderes, alieno bacillo regi, gubernarique postulasti? In Jugo Christi suavi, & onere levi, quale est Religio, vices Exactoris, qui perpetuum te professus es baiulum? In loco pascuæ, qualis est religio, vices pastoris, qui primò ascendisti de lavacro tonforum necdum gemellis foetibus? In monte Thabor, qualis est religio, vices Moysis & Eliæ cum Christo loquentium, qui operam tuam vix ad tria tabernacula fabricanda sciebas aptam? In Paradiso voluptatis, qualis est religio, vices Dei deambulantis ad auram post meridiem, qui duptaxat constitutus fuisti, ut operareris, & custodires illum?

285. Quis probet, te in probatica piscina, qualis est Religio, appetere vices angeli de cælo descendentis, & aquam moventis, qui in magna multitudine languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectas aquæ motum? In sagena in mare missâ, qualis est Religio, vices piscatoris hominum, qui vix unus ex omni genere piscium es, & esse potes? In scala Jacob, qualis est Religio, vices Domini in cacumine scalæ innixi, dicentisque: Ego sum Dominus, qui ad primum gradum in supposito lapide adhuc dormis? In schola Christi, qualis est religio, vices Magistrî, qui abecedarium, ac discipuli conditionem amplexus es? In throno eburneo, qualis est Religio, vices Salomonis, qui servile tibi elegisti officium, ut audires sapientiam eius semper? In loco solitudinis, qualis est Religio, vicem luminis supra candelabrum, qui accessisti, ut securè lateres sub modio?

286. Contrarius Vocationi religiøsæ videtur appetitus officiorum, graduum & honorum; & ut ascensu Juri nostro commisceam, quid

287. S. Basilius cap. 25. Constit. I. edoceat, lege: *Prorsus ab omni ambitione alienum habere animum, Monachus debet. Nam si in hac vita laboribus ac rectè factis suis esse præmium velit, misera profectò illius mercèditio conditio est; qui pro æternarum rerum jacturâ, caducas paciscatur. Si verò secum decreverit, velle se in hac vitâ agones laborum perferre, & eorum mercedem in cælo recipere, non solum bonores ultrò ipse consecrari non debet, sed ne oblatos quidem admittere, potiusque re-*

*cusare, ac proijcere, ne sequentis vitæ gloriam præsentis honor imminuat &c. Caveat igitur omni ratione pietatis cultor, ne honores consecratur, cæterisve se præponi velit. Omnis enim, qui se ipsum exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur, si semetipsum pietatis cultor in altum extulerit, habet, qui graviter ac potenter illum affligat, & ad inferos usque possit deprimere. Sin contrâ, se ipsum humiliaverit, splendidissime, magnificentissimeque extolletur, quippe cum Deo (quæ ipsius potentia est) humiliantem se in altum extollat. Et ut distinctius scribam:*

Religiosus à mundo elongatur fugiens, ut 288. maneat in solitudine, *Psal. 54.* quæ enim alia Religiosi intentio, mundum relinquentis, & vitam monasticam auspicantis est, nisi exclusis turbis soli servire Deo? *Solitudinem querit, qui vult cum innocentibus vivere. Seneca Lib. de moribus.* Si quis alium præfigit finem, is præposterus est: *Civilem virtutem jungere cum Sacerdotio* (quando minus cum statu religioso) *velle, est miscere non miscenda. Sines. Epist. 57.* Hinc & Apostolus fancivit 2. ad *Timoth. cap. 2. nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus. cap. Multa. 1. Ne Clerici vel Monach. cap. credo. 2. cap. Placuit. 3. cap. Cyprianus. 4. caus. 21. quæst. 3.* qui autem Prælati sive velit, sive nolit, ijs se se implicare non debet?

Sunt religiosi ex illo Christianorum grege, 289. in gradu quodam sublimiori, quod *mancipatum Divino Officio, & deditum contemplationi, & Orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. Cap. duo sunt. 7. caus. 12. quæst. 1.* Sunt religiosi ex illa sorte modò quodam specialiori, qui negotijs sæcularibus se nullatenus miscere, *Cap. Decrevit. 1. curas sæculares nequaquam assumere, cap. Episcopus. 3. causis sæcularibus non occupari, prætorijs inutiliter non deservire. Cap. perlatum 4. ratiociniorum causas non assumere. cap. innuzile. 8. Dist. 88.* Summò studio omnes vitæ huius occupationes abijcere, mundialis negotij occasione perplexum non inveniri, præsentibus hominum curis non præfocari. *cap. te quidem. 29. caus. 11. quæst. 1. mundanis actionibus non involvi. Cap. non magnopere. 3. Ne Cler. vel Monach. fluctibus sæculi non immergi debent. Cap. sed nec. 4. eod.*

Quis autem Prælati hęc non continuo 290. fatigatur? *nunquid fora frequentare, lites versare, aulas adire, amplificando domesticò censui ardentissime invigilare, volens nolens adigitur? Cui quidquid est, nihil est, nisi & hoc studuerit invenire, quod deest? Cui monasterium fit hospitium, equinum verò dorsum, quotidiana*